



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

§. 28. Variæ Urbani Papæ Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)

Sæc. XVII.
A. C. 1631.

§. XXVIII.

Variae Urbani Papæ Constitutiones.

*Bullar.
Magn. Ur-
ban. VIII.
t. 4. & 5.*

Præter diploma, quo Jesuitarum Congregatio fuit abolita, in hoc anno Urbanus VIII. Papa plures edidit Constitutiones, & quidem primo die trigesima prima Martii innovabat Constitutionem Sixti V. contra Astrologos Judiciarios, qui de statu Reipublicæ Christianæ, vel Sedis Apostolicæ vel Pontificis, aut ejus consanguineorum vita judicia facere, necnon contra eos, qui illos desuper consulere præsumpserint. Alia Constitutione idem Pontifex die secunda Aprilis omnes licentias legendi vel retinendi libros prohibitos ab aliis, quam eodem hoc Pontifice quibuscunque concessas revocabat, simulque declarabat, quod eorum professio, qui probationis annum expressum designatum Novitiatus locum complevere, invalida sit, proin eandem abeant, hanc vero nullitatem post elapsum quinquennium allegantes non audiantur. Die autem septima Martii decrevit Pontifex, quod *Laici* professi Ordinis Capuccinorum præcedant ubique Novitios professos: Fratibus vero reformatis Trinitariorum die quinta Junii

Junii indulfit, ut eleemosynas pro redemptione captivorum colligere valeant. Inhibuit etiam die decima tertia Septembris, ne Capuccini (excepta Provincia Romana) absque Cardinalis Protectoris, aut Superiorum Generalium licentia Romam accedant. Extendit quoque Pontifex die vigesima Decembris revocationem oraculorum vivæ vocis ad ejusmodi oracula etiam Cardinalibus facta, eorumque chirographo signata. Denique ut Papa Ferdinando Cæsari contra Sueciæ Regem opitulari posset, exhausto ærario Pontificio, sex decimas super omnibus Ecclesiasticis Italiæ fructibus indixit, annuentibus cunctis Cardinalibus, qui tum Romæ agebant.

§. XXIX.

*Alia decreta a S. Congregationibus
jussu ejusdem summi Pontificis
promulgata.*

Præter hæc Constitutiones insuper Pontifex Divinam Psalmodym ad normam magis concinnam reduxit, quosdam Hymnos ad carminis vel purioris latinitatis leges revocavit, vel omnino novos facili, qua pollebat, vena fudit, lectionesque seu Sanctorum Historias ex priscis, probatisque

*S. Congreg.
Rit. Concilii
Etc. decis.*

H h 3

Aucto-